



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Venerabilis Thomæ A Kempis Can. Reg. S. Augustini. De Imitatione Christi Libri Quatuor

Thomas <von Kempen>

Augustæ Vindel., 1772

Caput XV. De operibus ex charitate factis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45780](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45780)

gere, per inflammatum amorem transcen-
dere.

C A P U T XV.

De operibus, ex charitate factis.

I. Pro nulla re mundi, & pro nul-
lius hominis dilectione, ali-
quod malum est faciendum: sed
pro utilitate indigentis opus bonum
libere aliquando remittendum est,
aut etiam pro meliori mutandum.

Hoc enim facto opus bonum non
destruitur, sed in melius commu-
tatur.

Sine charitate opus externum ni-
hil prodest: quidquid autem ex cha-
ritate agitur, quantumcunque etiam
parvum sit & despectum, totum effi-
citur fructuosum.

Magis siquidem Deus pensat ex
quanto quis agit, quam opus, quod
facit.

2. Multum facit, qui multum di-
ligit. Multum facit, qui rem bene
facit.

Be-

Bene facit, qui communitati magis, quam suæ voluntati servit.

Sæpe videtur esse charitas, & est magis carnalitas: quia naturalis inclinatio, propria voluntas, spes retributionis, affectus commoditatis retro abesse volunt.

3. Qui veram & perfectam charitatem habet, in nulla re seipsum quaerit; sed Dei solummodo gloriam omnibus fieri desiderat.

Nulli etiam invidet, quia nullum privatum gaudium amat: nec in ipso vult gaudere, sed in Deo super omnia bona optat beatificari.

Nemini aliquid boni attribuit, sed totaliter ad Deum refert, a quo totaliter omnia procedunt, in quo finaliter omnes Sancti fruibilitate quiescunt.

O qui scintillam haberet veræ charitatis, profecto omnia terrenum sentiret plena fore vanitatis.